


Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRG.

Duplex I classis cum Octava communi

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus Assumptióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine, delíctis ignósce: ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum vivit.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 24, 11-13 et 15-20

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho: quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale Ps. 44, 5, 11 et 12 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et

vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Assúmpta est María in cælum: gaudet exércitus Angelórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. 10, 38-42

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quædam Martha nómine, excépit illum in domum suam: et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium: quæ stetit, et ait: Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respóndens, dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima: porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Credo.

Offertorium Assúmpta est María in cælum: gaudent Angeli, collaudántes benedícunt Dóminum, allelúja.

Secreta

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genitrícis orátio: quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus, in cælésti glória apud te pro nobis intercédere sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Assumptióne: quæ dicitur per totam Octavam in omnibus Missis quæ aliam Præfationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio Luc. 10, 42 Optimam partem elégit sibi María, quæ non auferétur ab ea in ætérnum.

Postcommunio

Mensæ cæléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut, qui Assumptiónem Dei Genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

℟ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo; et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2ª Oratio de Spiritu Sancto 514 et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa 515.

Die 16 Augusti

S. JOACHIM PATRIS B. M. V. CONFESSORIS

Duplex II classis

Introitus Ps. 111, 9

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi: cornu ejus exaltábitur in glória. Ps. ibid., 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Glória Patri. Dispérsit.

Oratio

Deus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti: concéde, quǽsumus; ut, cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.